



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

109 Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam no[n] sum  
oblitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

**Proficien-** quo diligentius seruantur, eo magis illu-  
**dum sem-** minant, possumusque perpetuò de clarita-  
**per.** te in claritatem proficere; idcirco quam-

**2. Cor. 3.** uis & mandata dilexerim, & dulcissima  
 expertus sim, eaque magno conatu adim-  
 plere conatus sim, oro tamen, quæsoque  
 vt amplius, & lucidius iudicia tua doceas  
 me: vt non vltione, sed vnctione magistra  
 discam, quid desit mihi: discam non su-  
 blime sapere, sed cupiam semper ad ante-  
 riora te doctore, & ductore progredi, & ex-  
 tendi.

109 Anima mea in manibus meis sem-  
 per: & legem tuam non sum  
 oblitus.

**Mira con-**  
**stantia.**

**A**NIMAM habere in manibus, est per-  
 petuò in periculo vitæ versari. Intel-  
 lige ergo fortitudinem, firmitatemque  
 Prophetæ: & ad imitandum tantum decus  
 affurge. Cum homines ita solliciti sint pro  
 vita, vt non possint quicquam aliud cogi-  
 tare, quandiu in periculo versantur, quam  
 quomodo effugiant, quomodo se tuean-  
 tur: quibus vijs, præsidijque inimicorum  
 fraudes, & machinamenta declinent, adeò,  
 vt non solum ijs distenti, de Deo, ac lege  
 eius meditari non valeant, sed etiam ip-  
 sam legem violare audeant: & quidlibet  
 agere animum inducant, modo euadant:  
 Ego, inquit, contra in medijs ipsis peri-  
 culis;

tuis; quasi vitam, & sanguinem meum  
 in manibus portans, legis tuæ meditationem,  
 Deus meus, custodiamque non deserui:  
 nec quicquam aduersus eam excogitavi,  
 quo effugerem: quin potius eò me magis  
 liberum, ac tutum arbitratus sum, quò tuæ  
 me custodiæ, atq; tutelæ securius commendaui.  
 Sed, quoniam sunt alij perniciosiores  
 hostes, qui mihi vbiq; atque omni tempore  
 insidiantur, nec de temporali tantum vita  
 quotidie periclor, sed de æterna, omnino  
 mihi faciendum intellexi, vt omnem similitudinem  
 in te proieciam: quoniam non te subtrahes,  
 vt cadam. Itaque putavi, quò attentius in te  
 respicio, cogitatumque meum omnem in te  
 iacto, eo mihi tutius inter insidias licere  
 viuere, vt illud valeam cum fidei exultatione  
 gloriari. Dilectus meus mihi, & ego  
 illi. Si de te solo cogito, nihil de me sollicitus,  
 sed de ijs duntaxat, quæ ad tuam voluntatem,  
 & gloriam pertinent, tu vicissim pro me  
 sollicitus eris. Intende tu mihi, quia  
 benignus, & misericors es: ego tibi, quia  
 non sum ingratus: tu salutem meam, tuo  
 ego honori: vt fias petra mea, & turris  
 fortitudinis à facie inimici, spes à turbine,  
 vmbra ab æstu: tantoque securius in te,  
 quam in mea solitudine viuam, quanto  
 sub alis tuis dulcius, tutiusque requiescam.

Ecccl. 6.

Cant. 2.

Psal. 60.